

processio, et emanatio picturæ, est productio similitudinis repræsentativæ ex se, et ex propria ratione; et tamen si cresceret in perfectione ista processio ut per eandem artem picturæ produceret hominem similem in substantia, non ex hoc esset filius magis, quam si actione ambulatória, aut alio modo motiva illum produceret. Intellectus autem ex genere intellectivo solum producit imaginem per modum picturæ, et adumbrationis: ergo quod perveniat ad hoc ut producat similem in substantia, non magis constituet processionem Filii in quarto modo per se, quam si ipsa spiratio et inclinatio voluntatis eandem substantiam, et naturam communicet.

XXVI. Respondetur hoc argumentum sequenti articulo ubi de processione Spiritus sancti agitur, solvendum esse. Pro difficultate autem præsentis, qua intendimus quod ex formali, et propria ratione processionis intelligibilis quatenus perfecta, et depurata intra lineam suam ab omni potentialitate ipsa processio imaginis, et similitudinis intentionalis, est processio similitudinis substantialis, et per modum propagationis, et non meræ repræsentationis, dicimus non parificari quoad hoc processionem intellectus, et voluntatis, considerando utramque in sua linea, et formali ratione præcise etiam ut depurata ab omni potentialitate, et imperfectione: nam processio per intellectum expressiva, et intelligibilis, et processio per voluntatem spirativa, et volibilis conveniunt in eo, quod tenet se ex parte principii producentis, et operantis, et differunt valde in eo, quod ex parte objecti se tenet, et per modum principii formalis ad processionem istas concurrunt. Ex parte principii operativi conveniunt in hoc, quod utraque processio est intra ipsum principium operans, quia operatio

immanens est, unde si tale principium est incapax accidentis, et tamen est capax alicujus procedentis intra se, ex vi talis processionis quantum ad hanc formalitatem, et considerationem, erit illa processio substantialis, quia virtus illa non est productiva intra se alicujus accidentis, sed suum esse substantiale debet esse quidquid in se est; et sic si est operativa alicujus realiter procedentis a se, debet esse operativa substantialiter. Ex parte vero objecti quod se habet ut forma, seu ut formale principium in hac processione, aliter se habet processio intellectus, et voluntatis, quia in intellectu paritur notitia a potentia, et objecto, et objectum præbet specificationem actui, et est forma secundum quam fit processio ista intelligibilis, et expressio in verbo. In voluntate autem non paritur amor, et inclinatio ab objecto unito, et conjuncto voluntati, eamque fecundante, sed potentia allicitur ab objecto proposito per intellectum, et propendet, seu inclinatur in illud; et ita objectum propositum movet quidem voluntatem, inclinando illam, et alliciendo, non tamen præbendo illi id ex quo formari, aut exprimi debet similitudo rei, seu res ipsa procedens: sicut enim generans ex sua substantia decidit partem quam vi formativa elaborat in fœtum, et imaginem propagativam sui, sic intelligens ex objecto sibi unito intelligibiliter in specie impressa, vel ex suamet essentia, si ipse est res intellecta, ut in Deo format, et exprimit propagationem intelligibilem in conceptu rei intellectæ, quasi in quodam fœtu intelligibili. Voluntas autem producit quidem actum, et impulsus spiratum intra se, et ex se, ut ex principio activo operante supposita propositione, et allicentia objecti, non tamen præbendo ex se substantiam,

sive per modum principii formalis, sive materialis ut formandam, et exprimendam in similitudinem ejus a quo procedit. Unde id quod procedit in voluntate si est substantia sicut suum principium, id habet ex identificatione cum suo principio activo, quod non est capax accidentis, neque alterius substantiæ. Quod vero procedit per intellectum non solum est substantia ex identificatione cum suo principio activo, quia actus immanens est, sed etiam cum suo formali principio, ex quo formatur, et exprimitur in similitudinem ejus, scilicet cum objecto, cujus expressio fit in verbo. Et hæc secunda consubstantialitas requiritur ad generationem, scilicet quod ex substantia geniti tamquam ex materia, vel ex natura formata, seu ex formali principio, formetur, seu exprimat similitudo talis naturæ, et principii. Quare processio voluntatis solum est substantialis processio, et communicat ipsam divinam naturam, quia est intra Deum, et ex ipsa voluntate procedit, et non ex nihilo, quia per actum immanentem procedit, et ex vi hujus processionis ut immanentis intra Deum, procedit quidem ut Deus spiratus, non ut genitus, quia non est processio substantialis ex vi processionis a suo formali principio, quod est objectum, neque consubstantialis illi, sed solum procedit substantialiter, et ut consubstantialis suo principio productivo, seu operativo per identitatem, quatenus actio immanens est, nec procedit ad extra ut effectus, sed intra manet, scilicet intra naturam ubi non potest procedere accidens, nec aliquid diversum in substantia, sed ut consubstantialis in eadem.

XXVII. Ex his solvitur in forma argumentum: Processiones divinæ non sunt substantiales, quatenus abstrahunt a creata et increata ab-

stractione quadam analogâ, et per modum totius potentialis concedo: ergo quatenus divinæ, concedo, quia esse divinas omnino requiritur ut procedant per modum actus puri; et sic ly quatenus dicit conditionem omnino requisitam, et annexam ut substantialis illa processio, formaliter autem id habet quia est actus purus in sua linea. Cum vero instatur, quod in quantum divinæ ex vi processionis, et in quarto modo formaliter est substantialis, et similis suo principio, negatur hoc assumptum, quia esse divinam illam processionem stat dupliciter, ut dictum est, vel ex identitate cum principio, ut operativa, et productivo quasi active, vel ex identitate cum principio formali, ex quo formatur et exprimitur similitudo rei procedentis. Ad hoc autem ut in quarto modo per se aliquid procedat tale, non sufficit quod fiat tale ex aliqua conditione inventa in agente concomitanter, et identice, sed ex vi ipsius formæ, seu principii formalis quo agit, sicut cum dicimus: Calidum calefacit, est in quarto modo per se, quia explicatur ibi formale principium quo illud agens producit calorem. Si autem dicamus: Existens calefacit, applicatum calefacit, non fit propositio in quarto modo per se, quia licet explicetur conditio requisita ad operandum, non tamen ipsa formalis ratio operandi, quæ sola facit formalitatem in quarto modo per se. Sic ergo cum dicitur quod processio voluntatis, ut divinæ, est processio substantiæ, nondum facit sensum formalem in quarto modo per se, quia non exprimit principium formale, quod sit ratio processionis substantiæ, sed solum principium activum, et quasi operativum, quod ex incapacitate habendi accidens, vel substantiam a se diversam, producit terminum, qui sit suamet substantia, quia intra se manet. Cum

vero dicitur processio intelligibilis, ut divina, seu prout in actu puro est processio substantialis, facit sensum formalem in quarto modo per se, quia exprimit principium formale, quod est ratio processionis substantiæ, scilicet ipsum objectum, quod est essentia divina, et se habet ut formale principium, ex quo exprimitur, seu emanat similitudo in ipso esse intelligibili, quod ex vi perfectionis intelligibilis, et deputationis ab omni potentialitate est esse substantiale; et sic ex vi, et formali ratione processionis in esse intelligibili puro quod est substantia, illa processio substantialis est.

XXVIII. Quod vero dicitur processionem intelligibilem ex suo formali conceptu solum esse processionem per modum similitudinis intentionalis, nec transire ad lineam processionis substantialis, nisi in quantum divina, secundum quam rationem etiam processio amoris transit ad lineam processionis substantialis, respondetur ex dictis dupliciter. Primo, quod similitudo intentionalis de se, et intra viscera sua, et intra lineam intelligibilitatis nullo alio extraneo adjuncto petit et habet sufficientem vim ut processio sit substantialis, si ipsum esse intelligibile careat potentialitate, et sic in actu puro: sic enim substantiale est, et non accidentale, et consequenter processio secundum illud esse, et expressio similitudinis ejus est processio substantialis formaliter, non solum ex aliquo identice concomitante, sed ex ipsa formali ratione intelligibilis esse in sua perfectione considerati sine potentialitate et imperfectione adjuncta. Unde non indiget transire de linea intentionali ad lineam substantialem per aliquid extraneum, et solum concomitanter adjunctum, sed intra suam lineam manendo, et puri-

ficando se ab omni potentialitate, et imperfectione adjunctæ, ipsum esse intelligibile petit de se quod sit substantiale, et quod expressio similitudinis in esse intelligibili sit processio in esse substantiali formaliter.

Secundo, dicitur quod voluntas divina, etiam prout divina, non habet quod processio amoris substantialis sit, seu consubstantialis suo principio formali, sed solum suo principio activo, seu operativo, videlicet ex eo quod actus ille immanens est, et fit processio secundum actum immanentem in tali principio, quod non est capax accidentis, nec alterius substantiæ, non autem ex eo quod formale principium secundum quod sit processio, et expressio in ipso esse substantiali expressionem istam faciat in similitudinem objecti, sicut facit processio intelligibilis. Unde ex eo quod processio est divina, identice et secundum identitatem in principio activo res procedens substantia est, non ex eo quod formaliter in linea formalis principii similitudinem intentionalis substantia sit, sicut est res procedens in esse intelligibili purificato ab omni potentialitate. Ad id vero quod dicitur Spiritum sanctum procedere, ut Deum, et non ut creaturam per se in quarto modo, dicemus articulo sequenti quomodo intelligendum sit.

XXIX. Ad exemplum quod adducitur de pictura dicimus esse diversam rationem, quia sive similitudo per picturam sit solum accidentalis, sive sit similitudo substantialis, et viva, semper esset facta, et elaborata per artem, non expressio naturalis, ad generationem autem requiritur quod sit processio naturalis ejus quod est simile in natura. Nam si homo haberet virtutem a Deo elaborandi manibus suis corpus humanum, cui infunderetur

anima, sicut corpus Adam est elaboratum e terra, ille homo sic elaboratus non esset filius, quia non modo naturali procederet, sed artificioso, quantumcumque alias esset similis secundum suam substantiam suo producenti. Sic similiter si efformando picturam faceret aliquis verum hominem, non esset substantialis processio per modum filii, quia non esset naturalis ejus emanatio a suo principio, sed artificialis. At vero processio intelligibilis non est elaboratio imaginis per modum picturæ, et artis, sed per modum naturalis expressionis, et emanationis in esse intelligibili, in quo petit non solum similem, sed eademmet naturam, seu objectum in se exprimere, et formare, quæ est in ipsa re intellecta, sed non in eodem esse entitativo, sed in esse intelligibili, quale illud fuerit. Unde si ipsum esse intelligibile fuerit etiam esse substantiale, et non superadditum, neque accidentaliter expressibile, et repræsentabile, ex vi suæ formalis processionis, et sine aliquo extraneo sibi adjuncto redditur substantialis processio in quarto modo per se, et ex vi sui formalis principii.

XXX. Secundo arguitur, quia Verbum ex visus formalissimæ processionis solum habet esse intellectum passive, non intelligens active, sed non est simile Patri generanti ex eo quod est intellectum, nisi etiam sit intelligens: ergo ex vi formalissima suæ processionis, et in quarto modo dicendi per se non est simile suo generanti substantialiter, et in ipsa natura. Minor et consequentia patent, quia natura intellectualis, ut substantia, et natura dicit gradum viventis vita intellectiva, cui convenit operatio vitalis, seu operatio vitæ debita tali gradui, et tali viventi. Operatio autem vitæ intellectivæ est intelligere, ergo id quod procedit

ut simile in natura, et in substantia suo principio intelligenti, debet procedere ut intelligens active, et non solum ut intellectum passive. Major autem probatur, quia verbum ut verbum procedit tamquam terminus intellectionis, et expressio illius, non in esse intelligibili in actu primo, sed in esse rei intellectæ: de ratione autem termini intellectionis est quod sit intellectum, non intelligens: ergo id quod ex vi suæ processionis etiam in linea intelligibili procedit ut terminus intellectionis, procedit ut intellectum, non ut intelligens. Quod si intelligens est, id erit concomitanter, et identice, quia illa processio divina est, sicut etiam Spiritus sanctus est intelligens. Esse autem divinam illam intellectionem materialiter se habet ad rationem, et formam intelligibilem, quia divisio intellectionis, et intelligibilitatis per divinam, angelicam, et humanam est divisio per subjecta.

XXXI. Confirmatur, quia intelligi seu esse intellectum ponit solum denominationem extrinsecam in re intellecta: ergo ex suo formali conceptu, ly intelligi non dat esse reale et multo minus substantiale ipsi verbo, sed id solum habebit verbum non ex eo quod proprium, et formale est ipsi in linea intelligendi, sed ex eo quod est concomitanter, et identice, scilicet quia intra Deum manet, et procedit, sicut id habet Spiritus sanctus. Unde videmus quod etiam creaturæ objectivæ existentes in Deo habent intelligi ab ipso, nec tamen habent esse substantiale Dei: ergo neque verbum ex eo præcise quod habeat intelligi; sed oportet ulterius quod ei communicetur ipsum intelligere active, quod utique non ex vi, et formali ratione verbi sibi communicatur. Nec potest idemmet intelligere præbere esse ipsi verbo, quia est esse ipsius intel-

lectus, prout factus in actu per cognitionem : ergo non ipsius verbi, quia duorum realiter distinctorum non est idem esse.

Respondetur negando majorem. Ad probationem dicitur, quod verbum ex suo formali conceptu procedit, ut terminus intellectionis, distinguo; ut terminus intellectionis depuratus ob omni potentialitate, et substantialiter unum cum suo principio, concedo; ut accidentaliter solum repræsentans, et ut terminus accidentalis, et cum imperfectione, et potentialitate, nego. Quando autem terminus intellectionis procedit secundum esse intelligibile depuratum ab omni potentialitate, et quod est esse substantiale, hoc ipso ex vi suæ formalissimæ processionis procedit ut substantia, et ut substantialiter unum cum suo objecto quod se habet ut formale principium intelligendi. Si autem procedit ut substantia, et substantialiter unum cum tali principio, quod est essentia ipsa divina, hoc ipso procedit formalissime, non solum ut intellectum, sed ut intelligens, quia procedit ut substantia in ordine intelligibili, et intellectuali; substantia autem in illo ordine intelligibili non solum est res intellecta, sed etiam intelligens, et vivens, et sic procedit ut perfecte simile Patri, non solum in esse intellecto, sed in ratione intelligentis.

Quod vero dicitur intellectionem illam esse divinam materialiter, et identifice, et quasi ex parte subiecti, respondetur intellectionem illam si consideretur ut abstrahens ab increata et creata, angelica, humana et divina, sic dividi quasi materialiter, et divisione formæ in subjecta per divinam, angelicam, et humanam. Si autem consideretur ut intellectio purificata ab omni potentialitate, et quæ est actus purus intra suam lineam intelligibilem,

sic non est materialiter, sed formalissime divina, et formalissime ex vi sua habet esse substantialis, et substantialem processionem fundare, et similitudinem in esse substantiali exprimere, quia ex ipsa depuratione intelligibilitatis ab omni potentialitate intra suam lineam præcise procedendo, et omni alio respectu, vel formalitate sublata, habet illud esse intelligibile reddi substantiale, et sine ulla ratione accidentali, ut explicatum est; et sic verbum procedens habet esse intellectum, et intelligens.

Ad confirmationem respondetur, quod intelligi potest comparari ad duo, scilicet ad objectum quod est extrinsecum intellectui, et in hoc ponit nisi denominationem extrinsecam, sicut esse visum, esse cognitum. Secundo, comparatur ad verbum, seu speciem expressam, in qua repræsentatur objectum intellectum, et ipsa repræsentatio passive est dicta, et expressa, et ea ratione vocatur intellecta passive, quia est dicta, et in se repræsentat rem ut intellectam; et hoc non ponit denominationem extrinsecam, sed veram realitatem producit, et ipsum objectum realiter repræsentatum, et intellectum dicitur in illo verbo. Et præsertim hoc verificatur in essentia divina, quæ per suammet substantiam, et entitatem est suum esse intelligibile, et intellectum in actu puro, et ipsum esse intellectum constituit illam in actu secundo intelligibilem, petitque ut ipsum intelligere sit sibi extrinsecum. Et hoc totum aliquid reale est. Quod vero dicitur de creaturis existentibus objective in intellectu Dei, dicimus illas reddi intellectas a Deo tamquam objectum extrinsecum, et secundarium, quod non est suum intelligere, et intelligi; et sic non dat eis tale intelligi aliquid esse reale, vel substantiale. Intelligi autem

Verbi est ipsum esse intellectum divinæ essentiæ, quæ per seipsam est suum esse intelligibile in actu ultimo, et consequenter in intelligi; et hoc ipsum in Verbo est expressum, et dictum, seu repræsentatum passive quod utique aliquid reale est in Verbo. Quod vero dicitur non posse distinctorum idem esse dari, falsum est: nam distinctæ res si inter se uniantur, et componant idem, ut in rebus compositis contingit; et sic cum intelligere, et intelligi omnino inter se coordinentur in linea intelligibili, eodem esse intelligibili actuantur, et exprimentur in verbo, et multo fortius hoc currit in Verbo divino, cui idem esse quod est in Patre seu eadem essentia, et idem esse intelligibile quod substantiale est, communicatur, et unum omnino sunt in esse.

ARTICULUS VII.

Qua ratione processio Spiritus sancti non sit generatio?

I. Tam certum est de fide processionem Spiritus sancti non esse generationem, quam certum est ipsum non esse genitum, nec Filium. Quod autem Filius non sit, constat: sic enim Filius Dei non esset unigenitus, si plures essent geniti. Unde dicitur in symbolo Athanasii: « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Cæterum ex cujus particulæ pertinentis ad definitionem generationis defectu, processio ista non sit generatio valde controversum, et difficile est, ita ut non deferantur tam ex patribus, quam ex auctoribus antiquioribus qui rem hanc inscrutabilem, et inaccessible existimaverint, ita ut nullam de eo rationem posse inveniri faterentur, ut Damascenus lib. 1 de fide, cap. x,

et Bernardus serm. 1 pentecostes dicit: « Processionem Spiritus sancti posuisse tenebras latibulum suum. » Eadem inscrutabilitatem docet Nazianzenus orat. v theologiæ, quæ est xxxvii; Augustinus lib. iii contra Maximinum, c. xiv; Anastasius Sinaita lib. de rectis fidei dogmatibus; magister sententiarum in 1, dict. xiii, aliisque plures. Non tamen propterea cessatum est a catholicis patribus, vel doctoribus hujus inscrutabilis majestatis et processionis occultissimæ explicare rationem, quare generatio non sit, ut contra hæreticos veritas catholica defendatur, et quantum tenuitas fragilitatis nostræ potest in illius splendoris immensam abyssum oculum conjiciat.

II. Cum ergo definitio generationis, quæ a nobis pro creata generatione traditur, semota omni imperfectione in tota sua propria, et formalissima ratione accommodata sit Filio, restat modo videre quomodo removeatur a processione Spiritus sancti. Et hoc difficile est. Nam generatio dicitur: Origo viventis a vivente, a principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ. Omnes particulæ videntur quadrare isti processionem Spiritus sancti. Est enim origo viventis, quia Spiritus sanctus est vita ipsa. Est a vivente, id est, ab ipso Deo Patre et Filio. Est a principio conjuncto ipsi vitæ, seu ipsi Deo, quia non est ex nihilo, nec de substantia creata: ergo de divina. Est in similitudinem naturæ, quia ex vi talis processionis procedit ut Persona divina, et ut Deus non ut creatura: procedit enim ut aliquid, et non ut aliquid creatum: ergo ut divinum: ergo ut simile. Et totum hoc habet ex vi suæ processionis, quia processio illa vim habet communicandi hanc naturam, et similitudinem Spiritui sancto. Ergo qua ratione habet vim producendi